

SACRORUM  
**CONCILIORUM**

NOVA ET AMPLISSIMA COLLECTIO

CUJUS


**JOANNES DOMINICUS MANSI**

ET POST IPSIUS MORTEM FLORENTINUS ET VENETIANUS EDITORES

AB ANNO 1758 AD ANNUM 1798, PRIORES TRIGINTA UNUM TOMOS EDIDERUNT  
NUNC AUTEM CONTINUATA ET, DEO FAVENTE, ABSOLUTA.

**TOMUS TRIGESIMUS TERTIUS.**

*Ab anno MDXLV. ad annum MDLXV.*



PARISIIS  
MDCCCCII

EXPENSIS HUBERTI WELTER, BIBLIOPOLÆ.

School of Divinity Library  
St. Louis, Missouri 63108

**ANNO CHRISTI** 1562 humiliter me subjicio, vocatusque ad hanc, seu ad aliam sanctam synodum, cum dictis fratribus meis libenter semper accedam, sic me Deus adjuvet, & haec sancta evangelia.

## LXXX.

**ORATIO AD SACROSANCTUM**  
ecumenicum concilium Tridentinum, qua de ecclesia auctoritate, & imitandis apostolis differunt. Habita per R. P. Gasparem a Fosso, archiepiscopum Rheginum in ejusdem concilii apertione, die XVIII. Januarii. MDLXII.

Sub Pio IV. pontif. max.

**S**i daretur congressus cum vate aliquo, illusterrissimi apostolicæ sedis legati, & patres amplissimi, illum de Nili ortu, vel Darii fuga (uti Alexandrum fecisse ajunt) non percontarer, neque de primis rerum seminibus, sint ne Pythagoreæ decisiones in cœlo, Empedoclis elementa, atomorum congeries, vel indigestum Anaxagoræ chaos: non de origine fontium, & aliis, quorum scientia inflat potius, quam edificat: Verum a certiori oraculo ipse libentius peterem, si Deus hominem rectum, ratione ornatum, beatitudinis participem, & sua insignitum imagine creavit ab initio, cur ipse suimet oblitus, & Dei, innumeris fe immiscerit questionibus: quo factum est, ut priori spoliatus honore compararetur jumentis insipientibus. Quis præterea eumdem hominem Dei bonitate per mortem filii ejus suo candori restitutum, & ita enutritum in evangelio, ut azymus, & nova conspersio esse deberet: tantus stupor oppresserit, ut ad veteris nequitias, & malitiæ fermentum reverteretur? Quinimo ad detestiora prolapsus est, dum neglecta veritate, quam in orthodoxa didicerat ecclesia, post impias abiit opiniones, dicens: Capitis sui tenebras esse lucem, & ecclesiæ catholice lucem esse tenebras. Utinam vero nostro tot non essent hujus insanæ sectatores, ut vere dicimus non posset: Stultorum infinitus est numerus.

Magna profecto circa religionem illorum insanæ est, qui cum Christum opera bona & præcepisse, & exemplo suo commendasse legerint, & tandem voluisse pati, & sic intrare in gloriam suam: ipsi tamen sub tali capite genio & delitiis indulgentes in otio se vivere posse existimant. Et si qui eorum sint, qui haec ipsa opera verbo non negligant, ea tamen ad salutem minus necessaria esse dicunt, inanem reddentes illam fidei nostræ confessionem: reddet Deus unicuique secundum opera sua: & qui bona egerunt ibunt in vitam æternam. Cum autem ab ecclesiæ initio sacramentorum usum semper fuisse legerint (ritus enim si qui aliquando immutati sunt, hoc ideo factum fuit, quia temporum & statuum conditiones illud expetebant: sed quantum ad substantiam attinet, in eorum integritate sine aliqua mutatione persistere) cur ea nunc projiciunt, detestanturque eo magis, quod sanguis Christi, quo ipsi tantopere gloriantur, & in quo se unice dicunt confidere, solo sacramentorum medio nos abluit, & Deo conciliat. Cum insuper beati Petri, ejusque in Roma, & apostolica sede successorum auctoritatem, eminentiamque super ceteros omnes ab ipsa Christi resurrectione indubitatam acceperint, ad

**ANNO CHRISTI** 1562 A quos alii quivis gravia fidei dubia, & ecclesiæ negotia, tanquam ad supremos doctores, & totius dominici gregis pastores summos refrebant: cur hodie ab eis tanta cum indignatione deficiunt? Unde obsecro nefas tantum populis, & iis qui aliquando pastores erant? Unde haec tetigit o Christe tuos insanæ cives?

B Non desunt in sacris literis oracula, quibus meæ petitioni satisfiat: dum enim de peccatoribus ajunt, non cognoverunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulans: peccata & mala *P. ad. 80.* quævis ex ignorantia provenisse ostendunt, quæ est altera peccatorum origo & causa, nec immitito: omnis enim pravus ignarus est, & nemmo amplectitur vitium nisi specie honesti: nec virtutem odisse poterit, nisi turpitudinis speciem præ se tulerit. Si enim illius formam oculis corporeis spectaremus, magnum (ut dicebat Plato) sui amorem excitaret in cordibus nostris: eadem oracula cum de eisdem peccatoribus dicunt, obsecravit eos malitia eorum: alteram ostendunt vitiorum causam, malitiam scilicet priori longe deteriorem, quibus ignorantia & malitia morbis intellectus, & voluntas animæ nostræ, vires præcipue insciuntur ut fuit ab initio: & sic homo a sua restitutioce recessit, comparatusque est jumentis insipientibus. At dominus, qui misericordia & miserationibus dives est, noluit hominem in tenebris & in umbra mortis sine remedio derelinquere: sed ei ineffabilem bonitatis suæ dexteram porrexit oriens ex alto, ipse inquam, pater ac dominus, qui condidit, firmavitque cœlum, qui libratam sua magnitudine terram vallavit in montibus, mari circumdedit, omnibusque distinxit: quicquid in hoc mirabile cernitur, conflavit, ac perfecit ex nihilo, perspectis erroribus nostris ducem misit, qui viam nobis justitiae panderet: quem audiremus, quem sequeremur, cuius monitis & præceptis devotissime pareremus: quem qui non audierunt jam judicati sunt: quia lux venit in mundum, & illi dilexerunt magis tenebras, quam lucem.

C Verum enimvero ex iis qui eum audierunt, & se ejus nomine Christianos esse profitentur, alii moribus dissentiant, alii vero doctrina. Primi sacramentorum remedia contulit, quibus vestem, quam amisere candidam recuperare, & in viam poterunt redire justitiae: adversus vero errorem, hæreticorum doctrinam, pertinaciamque, patrum exhortationes, & tandem ecclæmenica concilia instituit: quippe quæ ad elevandas hæreses præcipua semper fuere medamenta, ita ut ipse dominus saluti nostræ semper consulere videatur: olim quidem per filii sui missionem, deinde vero per internas inspiraciones, per patrum exhortationes, per sacramentorum ministeria, & in rebus arduis (uti nunc sunt) per generalia concilia, ubi Christus assistit, & Spiritus sanctus operatur: cuius directione, & nutu totum ecclesiæ corpus sanctificatur, & regitur.

E Hæc itaque, patres sanctissimi, causa fuit, cu-  
vos a Christi vicario (cui soli haec potestas data est) in hunc sacrum & legitimum cœtum vocati estis, ut scilicet prudentia vestra, & singulari doctrina errores (adjuvante Deo) eradicentur, veritas catholica confirmetur, & pax restituatur ecclesiæ: in eam enim Spiritus sanctus ad hoc potissimum concilia introduxit, ut si quæ inter Christianos de re fidei orta esset dissensio, patribus in unum convenientibus per invocationem nominis sui veritas appareat, errores, opinio-  
nes,

ANNO  
CHRISTI  
1562.

nes, & schismata, quæ in religione emergerunt, ipsorum concilium auctoritate amputentur, & penitus extinguantur. Quæ autem, & quanta sit conciliorum, & ecclesiæ auctoritas, qualesque vosmet ipsos patres, in hoc negotio gerere debeatis. omni verborum ornatu & lenocinio excluso brevissime percurremus.

Scriptura cum non ab humana voluntate, sed a Deo ipso auctoritatem acceperit, ideo nullus unquam fuit sanæ mentis, qui illi contradicere, aut aliquid falsum, inconstans, vel otiosum obficere presumperit. Ecclesiæ etiam non minorem a domino auctoritatem obtinuit, ita ut quicumque eam audierit, vel spreverit, Deum ipsum audivisse, vel sprevisse dicatur: ei datum est inter canonicum & apocryphum, catholicum & hereticum discernere, scripturas fideliter interpretari, peregrina & noxia respuere, & amplecti utilia. Unde non abs re Augustinus dicebat se evangelio non credere, nisi illum auctoritas communis sit ecclesiæ: verum tamen cum fidelium cœtus, prælatorum conventus, ac prælatus ipse nomine ecclesiæ intelligentur, licebit eos sub eodem nomine appellare. Cum autem caput ecclesiæ Christus sit, cuius spiritu illuminata in iis quæ ad fidem pertinent, errare non potest: quicumque ei non crediderit, & in iis, quæ ab ea determinata fuerint non acquieverit, repugnat ipsi Christo, ac ejusdem sententia tanquam ethnicus & publicanus habendus est,

Nec etiam sunt audiendi qui denuo de iis referri volunt, quæ semel sacra concilia determinarunt, & ab apostolica sede firmata sunt: si quidem hoc nihil aliud esset, quam Sisyphium volvere saxum: & dum in pelago dubitationum fluctuamus, portum quietis & veritatis nunquam attingere. Desideratur, proh dolor, concilium ab omnibus, quis ejus erit finis, quæ utilitas, & quis usus, si postquam decretum in eo quicquam fuerit, illud denuo aliquibus in dubium revocare, vel disputare licebit? Idem profecto iis eveniet, quod febricitantibus evenire conspicimus, quibus dulcia quævis morbi initio amaiuscunt: qui superioribus conciliis non credunt, nec iis credent, quæ futura sunt: sicuti qui non credebant Moysi & prophetis, nec illi qui a mortuis surrexisset credituri erant.

Sed quia heretici semper conciliorum auctoritate damnati fuerunt, mirandum non est, si contra eandem auctoritatem sua spicula jaciunt, arbitrii blasphemias & argutias quibusdam posse illam demoliri: ajunt enim se nullius velle stare judicio, nisi solius verbi Dei: quippe quod solum est verax, & manet in æternum: at conciliorum veritas cum hominum judicio ac voto innaturat, qui natura mendaces sunt, ea possunt facilitate alios fallere, qua ipsi decipi possunt. Quare hinc sit, ut aliqua unius concilii decreta ab altero sè numero revocata fuerint. Impiorum vox est adversus dominum, & adversus Christos ejus: *Dirumpamus ( inquit ) vincula eorum, & projiciamus & nobis jugum ipsorum: sed qui habitat in cælis irridebit eos, & idem dominus subfannabit illos.* Si vere divini verbi judicium magnificendum existimarent, ecclesiam & illius proceres audirent, quos verbum domini præcipit esse audiendos. Fatalem homines esse mendacia dum loquuntur a seipsis: at cum in Christi nomine congregati sunt, de summa religionis & fidei tractatur, licet in examinanda veritate interdum discrepent, in decretis tamen non ipsi sunt qui loquuntur, sed Spiritus sanctus: qui loquitur in eis: unde conciliorum determinatione

ANNO  
CHRISTI  
1562.  
spiritui sancto præcipue tribuenda sint, certe ille spiritus veritatis, sicut non potest falli, ita nego vos decipi patientur.

Fatetur etiam sèpe contigisse, ut semel definita, postea revocata fuerint: sed nunquam in iis, quæ ad dogmata fidei pertinent factum fuisse legimus, sed ad mores & ritus tantum: quippe qui pro temporum & locorum varietate mutari possunt, & interdum debent, ut apostolos aliquando fecisse legimus, dum abstinentiam a sanguine & suffocatis statuerunt: & quasdam leges ceremonias permisere: & Paulus Timotheum circumcidere, & ipsem more gentis suæ purificari voluit, ne esset Judæis credentibus offendiculo, & synagoga sine honore sepeliretur: quorum exemplo posteri locis & temporibus prudenter aliquid condonarunt. Sed in iis quæ ad fidem pertinent, quod semel determinatum est, mutatum fuit nunquam: nec aliquid erroris inventum ad hæc usque infelicissima tempora ( quod sine lacrymis commemorare non possumus ) quibus a mille & trecentis annis ecclesiam errasse contenditur: forte id scilicet ideo evenit, quia dormiente sposo ejus Christo tamdiu in erroribus fluctuavit: suisque funditus submersa, nisi illum a somno Lutherus excitasset. Qui tam impias voces perferre queat? quis tam ferreus, ut teneat se? & hæc audiens justissimo dolore atque indignatione se commoveri non sentiat? dum enim his blasphemias satanæ ministri ecclesiam nituntur deprimere, Christum ejus sponsum promisorum fide & veritate expoliant: ipse enim ait: *Quæ procedunt a labiis meis, non faciam irrita.* Irrita certe essent verba ejus, si ecclesia erroribus ( ut ipsi dicunt ) diu succubisset: ipse ait: *Rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobis in æternum:* non erroris, sed Spiritum veritatis. Et alibi ait: *Vobis ero usque ad consummationem facti: quæ promissio non solis illis, quibuscum loquebatur, facta est, qui nec in terris in æternum, neque erant usque ad consummationem sæculi permanensi, sed ecclesiæ facta est, cujus ipse est caput: caput dico non errantium aut erroris, sed veritatis.*

Non casu evenisse judico, ut hic dies, quo tot superatis difficultatibus, & suspensione labilata ecumenicum hoc concilium aperitur, cathedra Petri sacer est, ac eodem die evangelium nobis legeretur, quando Christus, mater ejus sanctissima, & discipuli ad nuptias invitati convenere ( utrumque enim hujus diei ministerio convenit ) in cathedra, quam Petrus sibi, ejusque successoribus Romæ erexit, Romanæ ecclesiæ eminentiam ac dotes præcipuas licebit inspicere, quas ita in Petro suscepit a domino, ut super cunctas alias supremum magisterium, & ducatum obtainuerit. Tu, inquit, es Petrus, & super hanc petram edificabo ecclesiam meam: Christus enim ipse, sicut tibi tanquam primario, & independenti capiti univit ecclesiam, ita ut eadem semper habeat caput visibile, Petrum constituit, quem Cepham appellavit, id est petram, super quam ecclesiam suam fundandam eis dixit: & quemadmodum in sacramentis operatur omnia ipse solus, ministerio tamen utitur visibilium sacerdotum: sic visibilem in terris ministrum elegit, per quem ecclesiæ monem hanc sustineret, & gregem suum visibilem invisibilis ille gubernaret.

At heretici, qui nihil student accuratius, quam Petri

ANNO  
CHRISTI  
1562.

Petri successorem Christi vicarium exosum omnibus reddere, ut unitas in ecclesia dissolvatur, disseminant, nos dum Petrum ecclesiae caput vel fundamentum praedicamus, Christo petræ primariæ, & angulari lapidi, ac fundamento præcipuo, præter quod nullum aliud ponipotest eodem modo quo ipsum est, quoquo modo derogare: ubi, sicut in aliis, & decipiuntur, & alios student decipere. Nos enim potius Christi gloriam & majestatem extollimus, dum cum, qui a principio creaturas omnes voluit bonitatis suæ esse participes, praedicamus participatione quadam tempore gratiæ voluisse illam hominibus copiosius & augustius communicate: ita ut cum solus ipse sit lux mundi, solus possit peccata dimittere, tamen hæc hominibus communicavit: B solus est filius Dei, & tamen quod ipse est natura, contulit ut alii fierent per gratiam: qui sacerdos est, sacerdotes facit, & qui petra est, petram facit. Unde quod dixit, *super hanc petram adificabo ecclesiam meam*, ita ad Christum, & ad fidem, quam Petrus confessus est, refertur: ut nisi ad Petrum ipsum referri etiam intelligas, diminute credes, & prope nihil, neque ubi sit ecclesia, scies: nam si per petram Christum solum, aut Petri fidem intellexeris, quilibet hæreticus penes se & Christum & fidem esse dicet: si vero Petrum, & Petri successorem intelliges, nullus schismaticis & hæreticis locus relinquetur.

Confirmat hoc B. Hieronymus ad Damasum papam sic scribens: *Cum successore piscatoris, & discipulo Christi loquor, ego nullum alium, nisi Christum sequens, beatitudinitue, id est, cathedra Petri communione confocior: super hanc petram adificatam ecclesiam scio: qui extra hanc domum agnum comedenter, prophanus est: qui non fuerit in arca Noe, peribit regnante diluvio: hæc enim sancta, & apostolica omnium ecclesiarum Christi mater ecclesia, quæ per Dei gratiam a tramite apostolicæ traditionis nunquam recessit, nec hæreticis pravitatibus aliquando succubuit: sed ut in exordio fidei Christianæ normam accepit ab auctoribus suis apostolorum principibus, eam illibatam semper servavit juxta ipsius domini pollicitationem, qui ejus discipulorum principi ait: Petre, ecce satanas expelit te, ut cibraret sicut triticum, ego vero rogavi pro te, ne deficit fides tua, & tu aliquando conversus confirmaberas fratres tuos. Sola hæc ecclesia nunquam fuit erroribus depravata, nec ad eam, ut Cyprianus ait, accessum potuit habere perfidia. Defecit Hierolyma, ubi Jacobus: Asia, ubi Joannes: Achaia, ubi Andreas: India, ubi Thomas: Æthiopia, ubi Matthæus: Persia, ubi Judas: Phrygia, ubi Philippus. Defecerunt & alii, quibus Christi & apostolorum discipuli præfuerunt: sola hæc apostolico culmine insignis a fide & veritate nunquam declinavit, ut a domino promissum est: quod portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Si portæ inferi, quæ sunt hæreses, & doctrinæ, non sunt contra eam prævalitæ, cur sic impudenti ore tamdiu in erroribus illam fuisse proclaimant? nemo dicat Deum se habere patrem, nisi haec ecclesiam matrem agnoverit.*

Sed tempus est, ut ad illius auctoritatem (unde digressi sumus) revertamur: & in ea insistendum est: talis enim est hujus ævi hæreticorum conditio, ut in nullam rem magis incumbant, quam ut sub prætextu verbi Dei ecclesiae auctoritatem evertant: ac si verbo Christi corpus ejus ecclesia, vel corpori caput posset adversari: quinimo auctoritas ecclesiae tunc a scripturis maxime illustratur, dum eas commendat, divinas esse de-

Concil. General. Tom. XXXIII.

A clarat, nobis legendas exhibet, in dubiis fideliter exponit, & eis contraria condemnat, dum legilia in scripturis præcepta a domino eadem auctoritate cessarunt. Dies sabbati in lege celeberrimus transit in dominicam: circumcisio Abrahæ Gen. 17. & semini ejus ea sub comminatione ordinata, ut cuius præputii caro circumcisæ non fuerit, deleretur de populo suo, sic sublata est, ut apostolus obtestetur, si circumcidamini, excidistis a gratia, & Christus nihil vobis prodest. Hæc, & his similia non Christi prædicatione cessarunt ( ait enim se veriale implere legem, non solvere ) sed auctoritate ecclesiæ mutata sunt: etenim si ea tolleretur ( cum oporteat hæreses esse ) quis ostenderet veritatem, & hæreticorum confundet pertinaciam? erunt confusa omnia, reuidentibus mox hæresibus illius auctoritate damnatis.

Qui vos contemnunt, patres amplissimi, Christum contemnunt, & eundem audiunt quicunque vos audierint. Ordini vestro subjiciuntur dæmones, & datum est angelos quidem ipsos nondum sæcularia judicare. Vobis dictum est: quorum peccata remiseritis, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retinebuntur. Vobis id mirabile dicitur, ut sit in celo ligatum, aut solutum quod ipsi ligaveritis, vel solveritis in terra. Hæc Deum potius, quam mortale sonant: vos estis illi principes, quos pro apostolis patribus David super omnem terram constituendos esse prædicti. C dixerat: qui principatus eo omni terreno est dignior, quo divina humanis, & cœlestia sunt terrenis digniora. Hoc Constantinus agnovit, cum in episcoporum synodo voluit humiliorem sedem retinere, ac libellos contra episcopos sibi oblatos comburi jussit, dicens: *Deus constituit vos sacerdotes, & potestarem dediti judicandi de nobis.* Hoc idem Theodosius ( cuius religionem, & humilitatem nunquam satis laudare possumus ) agnovi, cum de fævitia ab Ambroso redargueretur, & ab ingressu arceretur ecclesiae, sacerdotis non contemplit imperium, sed humiliiter paruit.

Hæc eadem auctoritas Christianissimos principes, ac dominia movit, ut ad hos clarissimos oratores tanquam defensores & obsides destinarent. Eadem auctoritate potestis rebelles hæreticos ad parendum vestris decretis, & ad venendum ad nuptias, quæ hodie Tridenti illis appetiuntur, compellere. Christiana enim & paterna caritas docet, filii etiam invitî & rebellibus esse beneficiendum. Quod si ( ut vultis ) efficere non potestis, & hæreticos, pro quorum salute tot incommoda & labores sustinetis, & periculis, & peregrinationibus vos conjectis, ad has nuptias trahere non valetis, pro quibus sternuntur mensæ, dapes apponuntur, & vos ad ministrandum accingitis, ubi Christum invenirent, matrem ejus, ac sanctos, quos ipsi e suis commerciis ejecerunt, ubi lapides eorum hydryæ evaderent carnæ, & aquæ errorum in vinum cœlestis doctrinæ, & spiritualis lætitiae verterentur: quia eos defendit numerus, junctaque umbone phalanges: eadem monet caritas assidue Christum dominum orare, ut qui *lux est mundi*, dignetur illorum tenebras excutere, ac eis lumen, & cognitionem catholicæ veritatis imprimeret.

Restat, ut in quibus & vos exercere, & beatos apostolos imitari debeatis, breviter absolvam. Præsentis ecclesiae status nonnunquam in scripturis vinea nuncupatur, & ea certe est, quam dominus suis hodie non locat, sed commendat agricultoris:

Z

ANNO  
CHRISTI  
1562.

lis: & sicuti ad culturam illius nunquam destitit a primo mane vocare operarios, sic nunc vos, patres, vocavit, & misit, non ut vinum bibatis, aut in otio delitiis fruamini, sed ut apostoli quibus vos succeditis, præcipui hujus vineæ cultores, exemplum reliquere, in ea ope remini. Finis, & scopus, in quem toto pectori debetis incumbere, est vineam domini excole re, superflua amputare, utilia enutrire, nocua evellere, & circumquaque omnia speculati. Vos enim turres estis, & firma adversus inimicorum insidias propugnacula: vos lepes, & muri estis, qui levientibus, & exterminantibus aperte viam clauditis, quibus etiam satagendum est vulpeculas capere, ne si creverint, colligatis mutuo auxiliaribus caudis (uti heretici & peccatores maiores effecti facere consueverunt) totam vineam, & messem domini heresum & vitiorum incendio depopulentur. Vos demum, patres, estis torcular illud, ubi vineæ fructus exprimitur, colligiturque: nec aliam ob rem dominus voluit hic adesse, nisi ut fructum afferatis, & fructus vester maneat: quod accuratius fiet, si in eisdem cordium vestrorum torcularibus diu noctuque versabitis, quorundam Tridentum veneritis, quo in discrimine respublica Christiana reperiatur, quid a vobis catholici expectent, in quibus (sicut aviculae deplumatae in nido, & nautæ firma in anchora) omnem eorum spem collocarunt: & sub quo sitis hereticorum judicio.

*Psal. 118.  
aa. 8.  
An. 12.  
ab. 5.*

Quæ si accurate cogitabis, & tabulis cordis vestri scripta deferetis, efficient, ut in opere tantæ molis non otiosi, sed solentes sitis operarii, ac orbis expectationi, & temporum horum calamitatibus digne satisfacietis. Et quia in actionibus nostris, dum studemus nobis ipsis placere, sepe hallucinamur: ideo apostolos doctores præcipuos in oratione & constantia studeamus imitari: quarum prima illuminati scietis potiora diligere: altera vero adversa omnia superabitis. Sine intermissione patres sanctissimi orandum est: nam hæc religionis negotia sunt oratione potius examinanda, quam verbis: quæ si a corde puro processerit, cœlos penetrat, & veluti fidelis nuncius mandatum peragit, & attingit, quo caro non pervenit. Nec aliquis debet tantum sibi placere, ut se non posse deficer arbitretur, cum non desint occultæ, & falsæ suggestiones dæmonum, qui in habitu lucis, & sub specie recti decipient: ideo orandus est Deus, ut qui lux est, vos illuminet: qui via est, vos dirigat, & qui veritas est, vos manu ducat. Sit ipse lucerna pedibus vestris, & lumen seminis vestris: sic enim apostolos fecisse legimus, Petrus & Joannes in Samariam profecti non prius iis qui crediderant imposuere manus, ut acciperent Spiritum sanctum, quam pro ipsis orassent, & dum Petrus servaretur in carcere, oratio fiebat sine intermissione ab ecclesia ad Deum pro eo: divina non nisi a Deo petenda sunt, nec possunt humanis viribus comparari. Constantia insuper & fortitudo vobis necessaria est: quæ si defuerit, nullum ferme opus optato & laudabili fine coronabitur: ea armati Petrus & Joannes cogentibus, ut Christum negarent, & a sui nominis prædicatione desisterent, audacter responderunt: *Si Deo magis, quam hominibus obedire aportear, ipsi judicate.* Quapropter nec Deum negabimus, nec a sui nominis prædicatione desistemus. Cum Andreas paratam sibi crucem longe prospiceret, supplicii spectaculo non teritus, sed senectute gravatus coepit alacri ani-

A mo clamare: *Salve crux diu desiderata.* Omnes denique apostoli ibant gaudentes a conspectu concilii, quando digni habiti sunt pro nomine Iesu consumeliam pati.

ANNO  
CHRISTI  
1562.  
An. 5.

Eadem quibusvis in periculis & difficultatibus debetis constantiam imitari, ac vosmet pro gloria domini tanquam parietes opponere, dicentes cum Davide: *Non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris.* Gentium historiæ Horatium miris laudibus prosequuntur, quia toti se Hetruris opposuit, ut patria redderetur incolamis: Spartanasque fœminas, quia filiis euntibus ad bellum clypeos sub his monitis porrigebant: *Fili autem cum hoc, vel in hoc: rata dignius esse in bello audacter pugnando occumbere, quam inde turpiter recedere.* Quanto magis eorum fortitudo celebranda est, qui non pro inani mundi gloria, sed pro fidei confessione, & fratrum salutē periculis, laboribus, & incommodis non cedunt? de quovis prælato, & de religione Christiana benemerenti gloriosius narratur, eum alicubi pro Dei causa, impiorum gladiis occubuisse, quam illæ transisse dum fuget. Quid homini prodest, si animam amando perdiderit? aut quam dabit commutationem pro anima sua?

*Matt. 16.  
Matt. 8.*

C Volvi, amplissimi patres, hæc dixisse pro fortitudine, quam quisque vestrum in animi præparatione habere debet: non quod hæc pericula vienes in his Tridentinæ montibus collectæ immineant: eam enim dominus protectionis suæ & evangelicas custodias sepe munivit, circuivitque non horum montium vallo, sed Cæsaris invictissimi: ac catholicorum principum, qui nec sumptibus parcent, nec laboribus, ut fœlix sit lacri hujus concilii progressus, ut ne capillus quidem cadat a capite vestro. Supersunt adhuc parvo in hoc ambitu plus quam septem virorum millia, *qui coram Basal genua non curvarunt.* Dei, non mundi opus aggredimur: hinc nec formidetis, nec difficultatum ventis circumferamini, experti sanctos per fidem reges vicis, & imperia, & apostolos pauperes, & infimos audacter prædicasse Christum crucifixum, mundo exosum, Judæis scandulum, & gentibus stultitiam: quibus etsi mundi

*Rom. 11.*

D sapientia, & vires contradixerint, Deus tamen voci suæ dedit virtutem, & evangelizantibus verbum potentiam, ita ut adversarii sapientiae, & spiritui qui loquebatur in illis, resistere non potuerint. Sic vos si, quod in vobis erit, feceritis, qui incrementum dat Deus efficit, ut lux vestra luceat in universo orbe: & expectatos fructus populo Christiano afferatis: quibus ipsi immortalitatem apud posteros assequemini, & ecclesia a tot perturbationibus liberata quiesceret. Quod ab eodem domino nobis certo promittitur, cum his temporibus ecclesiæ suæ Pium pontificem maximum præesse voluerit: de cuius sapientia, zelo, & rectitudine spem certam componendæ religionis accepimus. Adeo illusterrimorum

E legatorum prudentia, & fides, ac omnium vestrum patres reverendissimi constantia & pietas: quæ quicquid antea difficile videbatur, facile futurum ostendunt.

F Adsis ergo domine Jesu mentibus nostris, & ecclesiæ, ac fidei tuæ aspira negotiis, quæ hodie sub spe tuæ protectionis aggredimur: siue oculi omnium in te suspiciunt: ut tu aperiens manum ubertatis tuæ expreas omne animal benedictionis: sic nunc oculi nostri sunt ad te dominum Deum nostrum, ut nostri misericordia, & mittens auxilium de sancto, de Sion tuearis nos. Tu caput es, nos membra: vivifica, & illumina nos, & unigentum gratiae

*Oratio ex  
Psalms Da  
vidis con  
texta.*

A N N O  
CHRISTI  
1562.

gratia tua a te capite descendat in barbam, & ad oram vestimenti tui, ita ut hi ecclesiae tuæ processores ac fideles populi sint illius unguenti participes: & cum sine tuo humine nihil sit in homine, nihil sit innoxium, Veni tu sancte Spiritus, replete quorum corda fidelium, & horum patrum mentes igne tui amoris incende.

## LXXXI.

ORATIO HABITA A D P A T R E S  
concilii Tridentini die sancti Gregorii, MDLXII.  
Per reverendum patrem dominum Augustinum  
Loacos, abbatem ordinis Cassinensis.

**V**ELIM hodie, patres amplissimi, clarissimi que oratores, &c. Velim, inquam, mihi apud supremos patriæ patres, apud electos totius orbis pastores verba facturo mellifluam ac nectaream dari dicendi copiam. Quandoquidem ad tantionis provinciam luscipiendam, non hominum, quorum minimus ego sum, sed angelorum linguis, ut ita dixerim, mihi opus fuisset. Sed quamvis hujus negotii magnitudini impar sit dicentis eloquium, spes omnis est tamen cum primis in cœsita, qui vere scientiam habet vocis, & hominum mentes luce veritatis illustrat, labia infantium solvit, & fantium ora tum linguarum generibus, tum sermonum interpretatione affatim replet. Ipse enim, cuius dicere est facere, proprio ore promisit: Aperi (dicens) os tuum, & implebo illud. Omnis igitur spes in eo cum primis est sita, deinceps in vobis, P. A. qui pro vestra singulari humanitate, benignitate, caritateque, animo læto, hilari vultu ea accipitis, quæ a filiis vestris, a filiis sponsæ, quamvis parva, quamvis minuta, in templi gazophylacio mittuntur. Ea, inquam, accipitis, pensantes non tam uniuscujusque manum, quam animum. Non igitur meis viribus, quæ nullæ sunt, nixus, sed Deo optimo maximo fidens, vestraque benevolentia fretus, hoc onus æquo animo subire non dubitavi. Verum ne frustra ipsa conteratur oratio, nostri propositi narrationem jam aggrediamur.

Matt. 5.  
Psal. 80.  
Psal. 9.  
Ips. 60.

Mihi quidem sollicite cogitanti, quem scopum dicendi proponerem, illa per pulchra evangelii modo recitati verba in mentem venere. *Vos estis sal terra, vos estis lux mundi.* Hic suis dumtaxat discipulis servator noster verba facit: atque aperit, quales & discipuli, discipulorumque successores esse debeant: cum illi omnes non unum oppidum, non unam civitatem, non unicam provinciam, non (inquam) singulare quoddam regnum, sed universum imperium, sed universam terram, imo universum orbis circuitum deberent & sapientiae sale condire, & bonorum operum luce illuminare. *In omnem enim terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum.* Sedebat siquidem populus, universum scilicet hominum genus, in tenebris & mortis regione, quando orto justitiae Sole, vidit lucem magnam.

Hoc certe illustre & fulgentissimum tempus vidi propheta, vidi inquam, & ita gavisus est, ut maximo animi affectu in hæc verba proruperit: *Surge, illuminare Hierusalem, quis venit lumen tuum, & gloria domini super te orta est.* Populus sedebat, quiescebat, immobilisque permanebat. Erat namque corporis calamitatibus præpeditus, tenebris ignorantia obru-

A tus, pravis cupiditatibus ligatus, atque gravi peccatorum mole oppressus. Hæ sunt illæ evangelici Samaritani profundæ plaga: hæ sunt illæ Davidicæ acutæ sagittæ, quibus universum hominum genus, peccante Adamo, astu diaboli, fuit transfollum. Per primum namque illud Adæ peccatorum magnas & graves admodum plagas humanum genus accepit: non in corpore solum, quod tunc factum est imbecillum, & morbis, senio, mortique obnoxium, sed etiam in animo, parte hominis longe diviniora. Et quod supra modum intime dolendum est, in ipsa voluntate, gravissimum corruptionis vulnus accepit: quæ cum antea recta in summi, maximique conditoris amore ferretur, tum demum ab illo vero, B perfecto, optimoque bono averti cœpit, & ad res vanas, futilles, nihilique deflexit: tum in mente, suprema hominis veluti specula, caliginem quandam tenebricosam, hoc est ignorantiem, cœcitatemque contraxit, ut jam inde per se se non satis perspicere valeret, quid rectum sit, & quo dirigere debeat.

Degente itaque humano genere in his densis ignorantia & vitiorum tenebris, quum nox in suo cursu medium iter haberet, mediumque silentium omnia tenerent, advenit illa temporis plenitudo, in qua ab æterno, a regalibus sedibus omnipotens Pater Verbum suum in terram mittere constituerat, ut ex muliere virgine non corrupta, formam servi accipiens ita sub lege viveret, ut nos ab omni infirmitate curaret, atque felicissima filiorum Dei adoptione donaret. Hoc igitur opportuno tempore, populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione & umbra mortis lux orta est, lumen justitiae apparuit eis, uti Sol, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Non mutat horizontem, non variat hemisphærium, semper illuminat omnem hominem venientem & existentem in hac tenebrarum valle. Venit quidem Dei filius ex cœlo in mundum, ut ipsum illuminaret: *quamdiu (inquit) sum in mundo, lux sum mundi.* At quoniam multi hominum tenebras potius dilexerunt quam lucem, hac de causa non omnes illuminavit, sed cœcos dumtaxat illustravit. Venit, inquam, ut non videntes viderent, & videntes cœci fierent. Quamdiu igitur cum hominibus conversatus fuit, lux profecto ipsius mundi fuit.

E Attamen quemadmodum adventus sui tempus ab æterno præfinitum esse a patre legimus: sic & recessum suum in carne assumpta e mundo ad patrem præordinatum fuisse, absque dubio intelligere debemus. Itaque functus sua legatione, jactis ecclesiæ fundamentis, quadragesimo die post suam a mortuis resurrectionem, videntibus discipulis, comitantibus angelis, psallentibus & exultantibus cœlestibus spiritibus, cœlum perpetuo regnaturus ascendit. Et ne omnino sua nos corporali præsentia destitutos, orphanosque derelinqueret, priusquam a nobis discederet, divinam suam præsentiam nobiscum usque ad sæculi summationem mansuram promisit, & unicum sibi vicarium in terris constituit. Cui & ejus successoribus pascendarum ovium suarum universum negotium perpetuo duraturum demandavit, aliis etiam & apostolis, & omnibus discipulis, eorumque successoribus, pari ordine, usque ad sæculorum finem, & evangelii ubique prædicandi onus, & ligandi ac solvendi potestatem plenissime concessit.

Quamobrem non illis tantum discipulis, sed vobis etiam in posterum successoris, a Christo dictum fuit: *Vos estis sal terra, vos estis lux mundi,* Matt.

A N N O  
CHRISTI  
1562.